



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

435. Si quis sepulcrum violaverit & cetera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

nuit, & illam nequaquam obtineat quam usurpare tentavit.

De liquore in quo mus ceciderit.

Ex Pœnitentiâ.

CCCCXXXIV. Mus si ceciderit in liquorem, tollatur inde, & aspergatur aqua benedicta, & sumatur. Si verò mortua fuerit inventa, abiciatur totus ille liquor. Quòd si multum est de liquore, purgetur ille liquor, & aspergatur aqua sancta, & sumatur, si necesse est. Si in farina aut in lacte coagulato aut in melle mus mortua invenitur, quod in circuitu ejus est foras proiciatur, reliquum sumatur.

Si quis sepulcrum violaverit & cetera,

Vt supra.

CCCCXXXV. Si quis sepulcrum violaverit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua.

Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile est, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua.

Si quis manducaverit morticinum aut idolis immolatum, jejunet hebdomadas duodecim.

Si quis quodlibet membrum sibi voluntariè truncaverit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua.

Si quis usuras undecunque exegerit, similiter pœniteat.

Si quis per violentiam aut quolibet ingenio malo ordine res alienas invaserit aut tulerit, similiter pœniteat.

Si quis aliquem hominem malo ordine vendiderit, similiter pœniteat.

Si quis aream aut domum alterius voluntariè igne cremaverit, similiter pœniteat.

Si quis per iram aliquem percusserit, & sanguinem fuderit, aut debilem fecerit, quadraginta dies pœniteat in pane & aqua.

Si aliquis excommunicatus mortuus fuerit.

Vt supra.

Halitgar. lib.

6. c. 10.

Burchard. lib.

11. c. 51.

CCCCXXXVI. Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & non occurrit venire ad sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.

De eo qui furatus fuerit per necessitatem.

Burchard. lib.

21. c. 56.

CCCCXXXVII. Si quis per necessitatem furatus fuerit cibaria vel vestem vel pecus per famem aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas quatuor. Si reddiderit, non cogatur jejunare.

De redemptionis pretio.

Burchard. lib.

19. c. 22.

CCCCXXXVIII. Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit unde possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomadis det solidos viginti. Si non habuerit tantum unde dare possit, det solidos decem. Si autem multùm pauper fuerit, det solidos tres. Neminem verò conturbet quia jussimus dare solidos viginti aut minùs: quia, si dives fuerit, facilius est illi dare solidos viginti quàm pau-